



Q 50

Q. 50. 64, q.

Wd  
568

# EPITAPHIVM

ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS,  
AC DOMINI, D. IOANNIS FRIDE-  
RICI III. FILII ILLVSTRISS: PRIN-  
CIPIS, D. IOAN: FRIDERICI II.  
DVCIS SAXONIAE, LAND-  
GRAVII THVRINGIAE,  
MARCHIONIS  
MISNIAE,

SCRIPTVM


A.

PAVLO SIBERO.



IENAE.

Anno D. M. LX.  
Mense Augusto.



ILLVSTRISSIMO ET SERINIS  
SIMO PRINCIPI AC DOMINO, D.  
IOANNI FRIDERICO, SECVNDO,  
Duci Saxoniae, Landgrauio Thuringiæ,  
Marchioni Misniæ, Domino ac  
Mecœnati suo S.

**Q**VANTVS sit dolor, ex sinu tenellum  
Infantem puerum, piæ parenti  
Percussore rapi minante ferrum :  
Vel fato simili, quod inde vulnus  
Lugens accipiat parens, amatæ  
Ob mortem lobolis, Serene Princeps,  
Cari filiolî nece experîris.  
Nam sic mentibus insitum est, abhorrente  
Casus quæcꝫ suos, citamꝫ mortem.  
Quarè nos pariter parentis, omnes  
Luctu solliciti, uicem dolemus :  
Nos matris gemitu querentis omnes,  
Et Nati pariter uicem dolemus.  
Tu nostros placidè benigniori  
Vultu, Dux generose condolentes  
Fletus accipe, & has sacrifis dicatas  
Musis lacrymulas, simulqꝫ finem  
Harum cogita, & hinc beatioris  
Fortunamꝫ status, piæqꝫ vitæ.  
Felix qui benè, vagiens ut infans,  
Florenti didicit mori sub æuo.  
Felices animas DEVS piorum  
Hoc à turbine liberat, nefanda  
Ne labo inficiantur impiorum,  
Aut uirus Satanae trahant dolosi.

A ij

Qua.

Quapropter bene principi ominemur,  
Quem patri properata mors necauit,  
Et iustam requiem simul precemur.  
Hac nam conditione liberatus,  
Vitam cum superis agit beatam,  
Et quod CHRISTVS ait, domos olympi  
Haeres possidet. Esse paruolorum  
Aeternus pater hoc cupit theatrum:  
Hoc regnum dedit, has eis & arces  
Promisit, Mediator ipse CHRISTVS.  
Hac ergo ratione recreare,  
Et mentem reuocato fortiorem,  
Te dignum generose dux gerendo.  
Curæ namq; animos edunt acerbæ.  
Tristes exequias quidem sequamur,  
Sed vitæ capiamus hinc futuræ  
Spem magnam, simul & petamus omnes,  
His ut cum superis beata detur  
Et tranquilla quies, & inde nobis,  
Quando voce uocabimur tonanti.  
Incumbit semel à DEO locatus,  
Iam iam terminus omnibus propinquans.

Ienæ, 8. die Aug. Anno 1560.  
V. Celsitud. addictiss.  
Paulus Siberus.

EPITAPHIUM  
ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS,  
AC DOMINI, D. IOANNIS FRIDERICI  
III. FILII ILLVSTRISS: PRINCIPIS, D. IOAN:  
FRIDERICI II. DVCIS SAXONIAE, LAND<sup>s</sup>  
GRAVII THVRINGIAE, MARCHIONIS  
MISSNIAE, SCRIPTVM

A.  
PAVLO SIBERO.

Heu tristes gemitus, lugubria vota dearum,  
Ad tumulos miseris emodulata modis.  
O questus faciles, & largo carmina fletu,  
Instar & ô lacrymæ desilientis aquæ.  
Dicite Pierides, lugubres dicite Musæ,  
Qui vobis tumido pallor in ore sedet?  
Quæ subiti gemitus, quæ mœsti causa doloris?  
Purpureas fædat qui color, vnde genas?  
Quæ noua mœsticiæ facies? quid vestibus atris,  
Inuoluit tenerum turba tenella caput?  
O lugete deæ, teneræ lugete puellæ:  
Fertilis Oenagoræ lugeat ora gemens.  
Et tu Sala pater, canum caput effer ab vndis,  
Plenaque de lacrymis flumina siste tuis.  
Tu quoque ludentes Salana remitte choreas,  
Et dic flebilibus carmina facta modis.  
En tuus occubuit magni dux nominis Hæres,  
Et spes Saxoniæ cum duce magna iacet.  
Ille recens natus, præstans ab origine princeps,  
Matre Palatinus, de patre Sa xo, iacet.

A 3

In cunis

In cunis infans uix menses egerat octo;  
E puer in tumulo vagit, & vmbra gemit.  
Summa pruinosas suberat lux ante Calendas,  
Quando dies sacri festa Decembris adest.  
Nascitur illustri Soboles generosa parente,  
Quem colit augustum Saxonis ora ducem.  
Quarta bis exoritur, qua Phœbi liber ab æstu,  
Exerit ardentes Sirius ipse faces;  
Vmbra gemit fugiens, vagitibus implete & auras,  
Et sua dat terræ membra premenda leui.  
Spargite fontanos latices, lustrate sepulcrum:  
Heu tristem luge fœmina virq; necem.  
Pingua thura focis date, tristia verba sonantes,  
Cantanda infanti Nænia talis erit:  
Parue quiesce puer, tumulo requiesce sub isto,  
Grata sit vrna tibi, sit tibi terra leuis.  
Ossa tegat tellus, sed Spiritus astra subintrat,  
Viue per æternum dux Friderice puer.  
At tu mœste pater, princeps laudabilis Heros,  
Et tecum fratres fortia corda duo:  
Hunc miserum casum non fracto pectorè perfer,  
Nec nimium genetrix Elisabetha dolc.  
Ne lugete nimis, vobiscum numina lugent,  
Participes tanti turba doloris erunt.  
Nam sic fata volunt, semper miscentur amaris  
Dulcia, sub Iætis tristia sæpè latent.  
Sæpè latet viridi sub gramine pestifer anguis,  
Et nocet interdum felle columba carens.  
Sic mortale nihil certum est: Quin aspice vitam,  
Rebus in humanis nil stabile esse vides.  
Omnia Mors raptat, celeri succidua fato,  
Et nulli nouit parcere Parca furens.  
Ergo tux fortis non immemor, ô Homo, lethi  
Viue memor: viues cum benè, mortis eris.

Non

Non clarum quenq; genus, aut præstantia vītæ,  
Non Fortuna domus, nec iuuat altus honor.  
Non vires uegetæ, non magni corporis artus,  
Gloria nec belli, Pieridumq; decus.  
Nec iuuat ingenium solers, nec splendida virtus:  
Omnia deturbat mortis iniqua manus.  
Omnia Mors superat, Mors omnia condit & auffert:  
Ipse Deus facti præmia solus habet.  
At tibi nū horum, pars defuit optima vītæ,  
Præstans o generis Dux generose tui.  
Non decus hoc patriæ, nec auiti splendor honoris,  
Aut virtus animi defuit ulla tibi.  
Inuida Persephone nocuit, quæ fila sororum  
Rupit, & in Stygias turbida mersit aquas.  
Quæ licet horrendum furijs agitata sonaret,  
Non tamen hac potuit parte nocere tibi.  
Nec te Mors rapuit, dulces rapuere Camænæ,  
Mollibus hæc pueris turba ministra fauet.  
Indè iaces, fragilis vītæ spoliatus ab usu,  
Et pia cum Musis gaudia mentis habes.  
Non hīc Elysiae circum tua busta puellæ,  
Nec sparsis saltat flava Sybilla coinis.  
Hīc pietas, hīc sancta Fides, & Gratia cœli  
Excubat, & virtus nixa fauore Dei.  
Blanda tibi Charites dicentes carmina ludunt,  
Et tristes Lemures hinc procul inde fugant.  
Harmonicisq; modis transactæ tempora vītæ  
Mulcent, & cantu membra soluta leuant.  
Gaudia miscentes, nulli memoranda per æuum,  
Ambrosiam stillant, nectareumq; merum.  
Irriguum sitiunt animæ de fonte liquorem,  
Quem largo Sapiens fundit ab amne Deus.

A 4 Et fa-

Et faciles somnos meditantur, & oculi tractant,  
Nobis saluifico facta crux Dei.  
Nil tibi nocturni manes, nil somnia curæ,  
Nec te per tenebras territat umbra fugax.  
Angelici præsunt animæ custodia cœtus,  
Et vigiles pulsant, quæ mala cunctæ nocent.  
Aethereæq; domus fidissima turba ministri,  
In patrium portant corpora fessa sinum.  
Suauiter & mulcent, & vulnera liuida sanant,  
Influxit mortis quæ truculenta manus.  
Optima sunt læsis hæc pharmaca, ritè Machaon  
Talis cum medicas porrigit ipse manus.  
Vulnera qui tollat liuentia pure remoto,  
Quiq; cicatricem uix bene calle notet.  
His merito ô felix ducibus, Dux inclyte princeps,  
Imperium cœli qui super astra tenent.  
Hoc etiam medico felix et habebere iustus,  
Qui tua purpureo sanguine membra lauat.  
Viue per æternos semper feliciter annos,  
Et tibi iam partis utere ritè bonis.  
Ascitusq; choro tranquilla sede deorum,  
Perfruere alloquijs, concilioq; pio.  
Iam tibi certa quies, iam uita beatior instat:  
Alterius finis, principium huius erat.  
Exuere humanis rebus, uocat altior ad se,  
Ipsa Dei bonitas, ipsa beata quies.  
Ipsa quies Deus est, & viuæ lucis origo,  
Estq; salutaris vita, bonumq; Deus.  
Vita bonumq; simul Deus est: sic utere vtroq;  
Ut cœli capias gaudia vera, Vale.

Hoc tibi lugentes Musæ statuere sepulchrum,  
Hic ubi vitiferis Sala tumescit aquis.

Soluit

Soluit & inferias Salana, chorosq; remisit,  
Atq; tenus talo uestibus atra stetit.  
Omnia luxerunt fatum miserabile Nati,  
Non erat huic facilis falcifer ipse senex.  
Tristes Aoniæ lacrymantur, & ora rigantes,  
Abstergunt matri fluminis imbre genas.  
Mœsta parens cœli crudella suspicit astra,  
Et queritur facinus parca inimica tuum.  
O mea progenies, soboles dilecta parenti,  
Quondam deliciæ, nunc dolor ipsa mihi es.  
Nate mei lusus, nec non mellita voluptas,  
Dulceq; suauiolum, curaq; corq; meum.  
Quænam te nobis, heu uis inimica peremis?  
Traxit ab uberibus quæ modò parca meis?  
Heu dolor, heu cæci miranda potentia fati:  
Quis tantum morti iuris habere dedit?  
Omni præcipitat: menses his quattuor illa  
Vix tibi concessit, rursus ad astra redis.  
Ter lux dena dedit Cunabula prima Nouembris,  
Quarta bis Augusti nomine dicta, tulit.  
Has ego inferias genetrix tibi & annua soluo,  
Annua cum lacrymis hæc cape Nata pīs.  
Vbera sunt fletus, oculorum flumina mammæ,  
Næniolæ gemitus, sunt bona uerba dolor.  
Tu Friderice puer dormi: sopor vbera præbet.  
Dantq; tibi cunas nox tenebræq; Vale.

Ipse etiam Genitor, quamuis grauitate renidens,  
Attamen hæc Nati tristia fata dolet.  
Inter & Heroas graditur spectabilis Heros,  
Et gemitu sequitur funera mœsta pio.  
Iamq; animo meditans, seros seruare Nepotes,  
Naturæ uarias computat ipse uices.

B

Vsq;

uit

Vsēp adeō nihil est durabile : Nam uelut herba  
Languida marcescit, Sic cadit omnis Homo.  
En Friderice iaces, nostri Spes altera regni:  
An tibi non potuit parcere parca ferox?  
Ah miseris casus, nimis aspera fata fororum,  
Innocuis etiam posse nocere deas.  
Hunc ego sperabam uitrum Nestoris annos,  
Qui foret imperij digna corona mei.  
En facet exanimis, superatus morte potenti,  
Et secum præstans abstulit omne decus.  
Quid faciam mœstus pater? annè hoc munere condam.  
Ut princeps nostra contumuletur humo?  
Has Pater inferias, hæc annua debita soluam  
Nate tibi, patrij pectoris ipse memor.  
Non expers curæ, quam mens depascitur ægra,  
Hac sub humo putri gaudia pono mea.  
Deliciasq; meas, spem fallacemq; parentis,  
Marimoreum hoc saxum tristis imago tegit.  
Heu sati uis læua nimis: Quid sidera tentant?  
Heu nimium miseris Mors properata viris.  
Sed quodcunq; sit hoc, quod sidera dura minantur,  
Sit breue, pars uitæ summa paracta mihi est.  
Tu paradysiacos lustras per amæna recessus,  
Læticiae nullo gaudia fine capis.  
Tu puer Angelicas inter dilectæ cateruas,  
Concinis æterno carmina grata Deo.  
Ipse ego sed dubijs terrarum uersor in umbris,  
Heu quam rara parit gaudia vita fugax?  
His tamen ex nebulis medio te Sole coruscum  
Conspicio, & memori pectore fundo preces.  
Nos quoq; fata manent: Nam pars est maxima uitæ  
Penè exacta mihi, cætera mortis erunt.  
Tu modò Christe Dei splendor, Fons uiue salutis,  
A quo principium uita perennis habet.

Ex

**E**x dura petimus compagine corporis ista  
Solute tuos, ex hac colluione leua.  
**Q**ui lux es radians, cœlestis imago parentis,  
Da lucis radios posse uidere tuæ.  
**R**espice me miserum, qui sum maturior ævo  
Fratribus, imperij quem graue poscit onus.  
**E**t si fata uolunt, pacatæ tempora uitæ,  
Aut concede tuo nomine posse mori.  
**M**e regat auxilium sapiens rectoris olympi,  
Quo sine nil faciam, quod nisi iussa monent.  
**E**t quoniam nostris primævis vera dedisti,  
Dogmata iustifica testificata Fide.  
**V**nde pater Senior, Confessor nomine dictus,  
O constans veræ relligionis Amor:  
Hunc quoq; thesaurum da nos seruare reposum,  
Nominis Hæredes turba ministra sumus.  
**T**e duce clarescat nomen tutoribus illis,  
Vt sua dent Musis ocia tuta pijs.  
**N**e nos inuoluant fucata sophismata, purum  
Fontem sparge manu, quem tua verba sonant.  
**V**t sint vnanimes, Namq; altercando labascit  
Virtus, ut cursu frangitur acer equis.  
**H**oc mecum poscunt, duo fortia pectora fratres,  
Igne quidem sitiens flagrat uterq; pari.  
**N**os pia coniunctos seruet Concordia fratres,  
Et Germanus amor pectora nostra regat.  
**E**t cum fata uocant, videamus ad astra receptos:  
Sola Deo, in Christo viuere, vita placet.

## AD TUMVLVM.

Iambicum.

B ij

Felix

QK Wd 368

**F**elix sub hoc faxo quiesce condite,  
Patris tui spes Nata, spes domus tua,  
O indoles Heroa, dux ô inclyte,  
O Saxonis propago principis pīj,  
Friderice dux edite recens parentibus.  
Te prima uix Solis tuentem lumina,  
Heu Parca tristis dolor infantulum tulit.  
Sic ô caducum & languidum, sub ipsius  
Primo cedit, uitæ peritq; in limine,  
Iam flore pulcro germinans, debile genus  
Hominum. Tibi nos ô parens mœstissime,  
Generose princeps, condolemus: nos tibi  
Genetrix, acerbis his simul conquestibus,  
Lugemus. O insite parentibus dolor,  
O inditum lugere Naturæ necem.  
Tu uero felix hac quiesce humo puer,  
Hoc liberatus turbine, ex uita mala  
Felior suscepimus ad sedem bonam.  
Nam ceu caducus vita flos est: singula  
Mortem minantur certam, & est certi nihil.

FINIS.

AD LAMPTAM

M.C

X 2207 M6

0



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-345217-p0016-7

DFG

